

655.

1278 d. 31 Dec.

Husaby.

Bisk. BRYNOLFS i Skara Bref om tillstånd för domprosten BIRGER att, vid öfverlätelsen af denna hans befattning, och för efterträdare i det nu af honom erhållne kanonikatet, få innehafva gårdarne Kyrkofald och Modgofald m. m.

B. 7: 17.

Omnibus christifidelibus presens scriptum cernentibus B. diuina miseratione scarensis episcopus salutem in domino ihesu christo Quia res que presentibus satis est clara propter labilem hominum memoriam & caducam posteris dubia redditur & obscura nisi litterarum viuaci testimonio fulciatur jdcirco ad noticiam pleniorum facienda tam futuris post nos quam modernis presencium tenore litterarum declaramus quod nos domino birghero quondam preposito scarensi nunc canonico. Qui ipsam preposituram quam bene & laudabiliter rexerat in manu nostra & in presencia capituli scarensis libere & absque condicione qualibet resignauit curias kyrkiofald & modhofald cum colonis molendinis & omnibus attinencijs & dependencijs & modium prepositalem per vazboo & cum colonis ibidem omnibus que prepositure scarensi attinebant concessimus vt habeat & possideat quoad uixerit nomine simplicis canonie hoc adiecto vt quicumque prefate prepositure tenuerit personatum nec viuente nec mortuo ipso domino B canonico nostro dictas curias vel aliqua de supradictis vices optineat tamquam partem sue prepositure repetendi sed prenotate curie kyrkiofald & modhghofald cum omnibus premissis canonia per se sicud constituta est jure perpetuo permaneant nisi ex eadem canonia ad maiorem ecclesie scarensis reuerenciam dignitas aliqua constituatur Si hoc episcopo qui tunc fuerit vna cum capitulo videbitur expedire Considerantes igitur & reputantes redditus & prouentus prepositure scarensis tenues & exiles ex hoc existere quod nil de prenotatis omnibus yllo vmquam tempore preposituram redire debeat ad eandem Attendentes eciam quod nobis liceat iuxta canones iusta de causa vnum beneficium in duo diuidere & duo in vnum qoadunare in supplementum quamuis modicum eorum que amiserat prepositura scarensis prepositure Rentam quam dominus benedictus twuonis filius quondam habuit tunc canonicus nunc prepositus scarensis cuius redditus isti sunt ecclesia beati laurencii scaris cum omnibus obuencionibus suis decimam frugalis episcopi de parrochia sunderbo quatuor colonias Elhiaas in parrochia kyrkiofald vna colonia in salaby in aldouæ vna colonia in tobbethorpe vnum molendinum in aladal Modius prepositure in fre-kindzhered de consilio & assensu capituli nostri iure anneximus perpetuo & ecclesiam vllerwi prepositure scarensi vniuimus ecclesiam vllerwi & scarensem in vnum corpus indissolubiliter constituentes vt autem hec nostre ordinacionis prouisio super canonia de bonis prepositure scarensis facta & super augmentacione rente superius nomine cum ecclesia vllerwi in com-

plementum subtractorum eidem prepositure scarensi assignate Robur optineat firmitatis. Et ne aliqua in posterum super hoc possit dubitacio suboriri Presentibus litteris quas domino Benedicto preposito scarensi duximus committendas sigillum nostrum & sigillum capituli nostri appendi fecimus ad cautelam Datum hosaby anno domini M<sup>o</sup>CCLXXVIII° jn die beati siluestri pape pontificatus nostri anno quarto.

656.

1279.

Bref af Abbot Nls i Nydala på utbyte af Boda och tillgång till Lundby skog emot Skardabäck och Holkaryds skog till NILS KETTILSSON.

A. 3. x. 1: 48.

Vniuersis christi fidelibus presentes litteras inspecturis frater N. dictus abbas Nouevallis totusque eiusdem Loci conuentus salutem in omnium saluatore. Noueritis nos premium quoddam dictum Bodær cambiuisse cum viro quodam Nicholao nomine Kætilli filio pro predio quod possederat in Scardabech & pro siluis pertinentibus ad terram octo solidorum in Holkaryth cum terra que dicitur nytiæbol hac condicione inter nos mediante videlicet vt idem ius habeat in siluis que lundbÿ attinent. quod habuit in silua sui patrimonij tam ipse quam heredes sui in mediate sibi invicem succesuri. Quod si dicta possessio pro precio distracta fuerit deueniens ad remociores consanguineos uel eciā non propinquos possessoribus uel emptoribus dicti predij solus fundus Bodær, sepibus circumseptus tantum modo cum pascuis pecorum eisdem attinebit alijs attinencijs reuocatis. Actum anno domini M<sup>o</sup>.CC<sup>o</sup>.-LXX<sup>o</sup>.IX<sup>o</sup>.

Sigillet bortfallet från den ur brefvet klippta remsan.

657.

1279 d. 18 Jan.

Skara.

F. d. Kon. WALDEMARS städfästelse på sin broders Kon. MAGNUS I:s anslag af Björnsäter till ett nytt kanonikat i Skara.

A. 3. z. 1: 9.

Omnibus christi fidelibus presentes litteras visuris vel audituris. W. diuina Misericordia quondam rex sworum salutem in vero saluatore Quoniam vt veraciter intelleximus. Dilectus frater noster. Dominus. Magnus. diuina misera-